



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivsti Baronii Veteracastrensis SS. Th. Et I. V. D.  
III[ustrissi]mo Arch[iepisco]po Moguntino à Consilijs.  
Epistolarvm Sacrarvm Ad Pontificem Max. Et Amplissimos  
Cardinales &c. Libri VI**

**Baronius, Justus**

**Mogvntiae, 1605**

Epistola VIII. Robertvs Bellarminvs Politianus, S. R. E. Cardinalis,  
Archiepiscopus Capuæ Ivsto Baronio Veteracastrensi S. Clarissime vir, &  
singularis amice.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70614)



*Institutionibus Calvini*\* scripsi, omnem Ger- \* *Vide Sen*  
*maniam* nostram hoc à te confutationis be- *pra lib. 2.*  
 neficium desiderare. Nam quod *Baronius Epist. 18.*  
 alijque viri Principes hanc nuper *Aetnam*  
 mihi impositam voluerunt, vides ILL<sup>me</sup>  
 D<sup>ne</sup> quàm graue futurum sit, quàm hume-  
 ri mei planè non sint ferendo. *Atlantem* ali-  
 quem hæc cura desiderat, qui non ego, sed  
 tu tuique similes, in sacra hac militia iam  
 Veterani, coronisque toties decorati. Mihi  
*post principia* locus, tutumque silentij præ-  
 sidium, vnde me haud extrahi patiar, nisi  
 neminem omninò velle intelligam. At vo-  
 les tu spero, meq; hoc onere leuabis, ne de-  
 trectasse magis superiorum voluntatem,  
 quàm summè idoneo concessisse videar.  
 Vale, meq; reditum ad meos maturantem  
 pijssimis tuis apud Deum precibus prose-  
 quere. Romæ 9. Calend. Septem. M. DCII.

EPISTOLA VIII.

ROBERTVS BELLARMINVS

Politianus, S. R. E. Cardinalis, Archi-  
 episcopus Capuæ

IUSTO BARONIO VETERA-  
 castrensi S.

Clarissime vir, & singularis amice.

MOLESTE fero, quod literas tuas prio-  
 res nō viderim, sed longe molestius,  
 quod



quod te ipsum videre non possim. Faxit Deus, ut in patria coniugamur, cum ipsius Dei causa in exilio nos disiunxerit. Ego te ubicunque fueris, sincerè diligam, & *Roma* abeuntem precibus & votis prosequar. Arbitror enim, vitam & salutem tuam Ecclesie Catholicae non mediocriter profuturam, si ad *Caluini Institutiones* seriò refutandas animum adieceris. Video enim tibi ad opus hoc perficiendum multa suppetere, quibus vel omnibus, vel nonnullis caruerunt, qui idem opus infeliciter aggressi, infelicius ad exitum perduxerunt. Me certè non solum aetas iam proeecta, & in senium declinans prohibet eiusmodi opus aggredi, sed multò magis sarcina Ecclesiastica, quæ grauissima est, cum non solum more veteri, assidue concionandum, & orandum, vel ut verbis utar Apostolorum, \* *orationi & verbo Dei instandum* nobis sit, sed etiam iuri dicendo, & reis puniendis operam dare sine intermissione debeamus. Tibi igitur palmam libenter cedo & iuniori & instructiori. Dominus Deus noster dona sua in te collata conferuet & augeat, ut de hostibus fidei, qui te aliquando captiuum miserè tenuerunt, gloriosè triumphes. Datum Capuae, die 6. Septemb. M. DCII.

\* *Act. 6. 4.*

EPI-